Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 991
Quelle:
Copyright:

ſaluum facere quod perierat. Accedit difficilis Librarii manus, quam Sec. XIII. habeo, quo *Roſcelini*, *Abaelardi*, *Berengarii*, *Gilb. Porretani* &c. Philoſophiſmus jam latius Theologorum ſcholas pervaſerat.

VI. *fol.* 148. a Seculi mox dicti manu *Incipiunt uerſus cuiusdam de ſancto et glorioſo bernhardo abbate clareuall.* Elegia 48. Diſtichorum, quae init:

Clare ſunt ualles, quia ualles nomine claras
Clarior inſtituit relligione pater.
Fama patris uitalis odor, ualidumque vetuſto
Heu viciis fidei robur in orbe fuit.
Spirat adhuc, celerisque noti uelocior alis
Evolat, ac dulces promit ubique modos.
Nempe nouis ludebat adhuc puerilis in annis
Mens, cum iam mentis floruit intus honor. &c.

Habes ſat facilem venam ignoti Modulatoris, qui finit:

At modo ſuccubuit titubans heu muſa, nec audet
Febricitans trepidis edere plura ſonis.

Expliciunt uerſus cuiusdam amatoris ſancti bernhardi.

CCCCXXV.

R. 48 Codex membraneus lat. nunc Sec. XV. eſt enim reſcriptus, ductibus, qui etiamnum adparent, ſaltem Seculum VII. loquentibus; Folior. 62. f. min. per duas columnas bene exaratus, rubricis diſtinctus, et olim, ut p. 1. ſubnotatur, *monachorum congregationis ſancte Juſtine de padua deputatus monaſterio ſanctorum Seuerini et Soſſij de neapoli*, continet D. *Bernardi Claraevall.* Abb. *Sermones in Cantica Canticor.* Inſcriptio miniata eſt: *Bernardi clareuallenſis abbatis ſuper cantica canticorum ſermo primus incipit.* Initium: *Uobis Fratres alia quam aliis de ſeculo* &c. Finis *Sermone* LXXXVI. quousque videlicet Autor laborem perduxit: *ut filij lucis inquit ambulate.* Textus cum edit. *Maur.* T. IV. *col.* 1267. probe conſpirat. Adtextum eſt ad calcem Folium manu Sec. XII. luculente perſcriptum, continens expoſitionem *Pſalmi* LXVII. v. *Si dormiatis inter medios cleros* &c. T. IV. edit. *Maur. Opp. Auguſtini col.* 674 — 75. Vitio compactoris Membranae in Codice mire turbatae ſunt.

CCCCXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. nunc 154. f. per du- R. 16

as